

§. XVI. Statuis atque sepulcris indivulso veluti nexu cohærent Epitaphia aliaque in Heroinarum laudes concinnata Epigrammata & Elogia. His enim Heroïdum Togatarum, ut vocant, in primis seu eruditione Illustrium monumentis splendor accedit non exiguus. Non ignobile hujus generis Epitaphium est, quod Guevara a) in Aretæ Aristippi celeberrimi apud Athenienses Philosophi, filiæ literis græcis juxta atque latinis ita eruditæ, ut tota Græcia animam Socratis in illam migrasse fama esset, honorem ab Atheniensibus statutum memorat:

*Nobilis hic Arete dormit, Lux Hellados, ore*

*Tyndaris; at tibi par, Icarïoti, fide:*

*Patris Aristippi calamumque animamq; dederunt*

*Socratis huiclingvæ Mæonidæq; Dii.*

Aliud in eandem Epitaphium Italico idiomate exaratum Clarissimus Junckerus b) nobis exhibet: *Qui giace la grande Areta Greca, Splendor di tutta Grecia, qual hebbe la bellezza d' Helena, l' honestà di Tirma, la penna d' Aristippo, l' anima di Socrate e la lingua d' Homero.* Mariæ Garfiæ de Gournay, Virgini Gallæ & insigniter doctæ, à Rolando Maresio c) *αὐτῆς δὲ Δακτῆ* appellatæ, sequens positum fuit Epitaphium: *Marie Farsie: Cognomine Gornacensi: Nulli viro nota: Nulli Docto ignota: Quam corpore sterili: Tam ingenio fecunda: Nec mortalium liberorum: Sed librorum semper victurorum parenti: Hadrianus Valesius.* Cornelia Adrichomia Carminibus mysticis ac varia oratione & Poematibus variis illustris virgo Batava d) hoc sibi ipsi fecit Epitaphium:

*Corpus humo, superis animam Cornelia condo:*

*Pulverulenta caro vermibus esca datur.*

Schurmannia versatissima in Lingua Hebraica, Chaldaica, Syriaca, Arabica, Turc. Græca, Latina, Gallic. Anglica, Italica, Hispan. German. Belgica

C 3

a) Hor. Princ. L. II. C. 33. p. 361. b) e Colomesii Observ. sacr. p. 89.

c) Epist. XXIII. L. I. p. 100. aliis 103. c. Junck. l. c. p. 100. qui e Quesnelio in Catal. Bibl. Thuan. P. II. p. 406. citat: *Le Promenoir de Mr. de Montagne, par sa fille d' alliance la Demoiselle de Gournay, avec queques poesies d' elle meme, a Paris. 12. c) loc. modo cit. §. 50. x)*